



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Joannis Schefferi Argentoratensis De Re Vehiculari Veterum Libri Duo

Scheffer, Johannes

Frankofurti, 1671

Cap. XVIII. De Cisio.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13156

Cap. XVIII.

De Cifio.

Cifia, unde. Vossius rejicitur. Διτροχον. Cum rotis duabus incedunt. Pincianus notatur. Gestatorium vehiculum speciali notione, quod non est onerarium, veteribus incognitum. Ad cifium mula tres. Vehiculum est virorum. Ad itinera celerrime conficienda idoneum. Seneca lectio vetus restituta. Cifarij prævertere se mutuo studebant. Ulpianus exponitur. Cifia conductitia. In cifis tabellarij. Tabellarij domestici. Cifia peregrinantium disposita inter urbes. Cur Gallis cifia tributa.

AD vehicula, quæ binis volvebantur rotis pertinent & cifia, ut mox indicabo. Mentio eorum apud Tullium Philippica II, *Inde cifio celeriter ad urbem advectus, domum venit capite involuto.* Item Senecam ep. 72. *Quædam sunt, quæ possis & in cifio scribere.* Unde nomen suum hæc vehicula habuerint, incertum est, nec de eo veteris alicujus sententiam invenimus. Vossius de eo sic in Etymologico suo: *Dicitur à cado, quasi casum, quia due rotæ quasi recisæ.* Putat, quantum conjicio, inde suum habuisse nomē, quod non haberet, sicut alia non pauca vehicula, rotas quatuor, verum duas tantum, duabus recisis, id est sublatis. Sed jejunum nimis hoc videtur, nam & alia sunt vehicula cum rotis duabus, & cur tandem in cifio solo recisa debeant intelligi, ratio non potest dari aliqua idonea. Ego arbitror à cito esse dictum, id est prompto celeri, quia vehiculum fuit, quo celeriter confici potuit iter. Quod jam liquet ex superiori loco Ciceronis, & mox amplius monstrabitur. Nempe sicuti à novus, a, um factum est novitius, a, um; ad eundem modum & à citus, a, um existimo formatum citius, a, um, postea pro citio svavitatis causa dictum esse cifium. Ut proinde cifium adjectivæ sit significationis, in quo intelligi debeat vehiculum, & significet vehiculum citum, quo celeriter fiat iter. Quæ illius apud Græcos appellatio extiterit, hucusq; necdum exploratum est. Διτροχον, pro eo invenimus in Antiquis Lexicis, ut mox dicam. Sed commune hoc vocabulum cum multis aliis vehiculis. Structuram quod concernit, primum duas habuisse rotas observamus ex Nonio, qui sic ha-

bet cap. 2. *Cisium*, *vehiculi biroti genus*. Vehiculum *birotum* est, quod binas habet rotas. Ita namq; generatim hic accipere debemus, non privatim de *birota* de qua egimus in præcedentibus. Porro Nonium sequitur & Perottus. Confirmatq; utriusq; sententiam Onomasticon vetus Argenteratense, in quo ita legitur: *Cisium*, *di-ge-ov*. Errat ergo Pincianus, quando explicat *vehiculum gestatorium*. Verba ejus sunt, ad indicatum supra locum Senecæ: *Est cisium genus vehiculi gestatorij, autore Nonio Marcello*. Nihil tale Nonius Marcellus, uti vidimus, *biroti genus* ait esse. Sed nec locus Ciceronis ex Philippica II. nobis quoq; in superioribus allatus, tale quidquam docet. Sed fortasse *gestatorium* vehiculum accepit pro eo quo vehuntur homines, & opposuit *oneraris*. Quomodo jam factum à Corraasio lib. III. Misc. c. 20. *Sciendum*, ait, *ex vehiculis aliqua oneraria esse, vehendis marmoribus, & grandi materia accommodata, ut plaustrum, sarracum & carpentum: alia gestatoria ad vectandos homines, veluti carruca, rheda, essedum, cisium, petoritum, pileantum, & cætera id genus*. Ubi & Corrasius inter gestatoria vehicula *cisium* numerat. Verum aliter fecere veteres. *Gestatoria* vocarunt, quæ portantur, & opposuerunt illis, quæ trahuntur. Ita habemus *sellam gestatoriam* apud Svetonium in Nerone c. 26. & Vitellio c. 16. item Cælium Aurelianum lib. I. c. 5. & alios. Quandoq; pro lecticis ponuntur, ut apud Sidonium lib. VIII. ep. 8. ubi *gestatorie bracteata*, lecticæ videntur. Quicquid sit, hoc plane constat, *cisium* incessisse rotis, non fuisse gestatum. Ad hæc rotas habuisse non plures, quam duas. Fuit porro in *cisio* capsium, quale veteres vocarunt *ploxemum*. Ita docet Festus, in voce *ploxemi*: Verba hæc sunt: *Ploxinum appellari ait Catullus capsium in cisio capsamve, cum ait: gingivas vero ploxini habet veteris*. Testatur manifeste, *ploxinum* in *cisio* fuisse. Dicebatur autem *ploxinum*, sive *ploxenum*, aut *ploxemum* (his enim modis omnibus reperitur scriptum) quod esset non ex tabulis conjunctum, sed contextum ex virgultis aut viminibus, quod jam loco alio monstravi. Liqueat igitur, vehentes sedisse in ejusmodi *ploxeno* contexto è virgultis, sicut hodieq; fieri per Daniam consuevit. Videntur autem tali genere in eo uti voluisse, quia

quia servire celeritati debuit, ut mox dicam. Reliqua enim magis ponderosa. Trahebatur vero à mulabus, quod colligo ex carmine veteri, quod est inter Catalecta Virgiliana, scripto in Sabinum:

*Sabinus ille, quem videtis hospites,
Ait fuisse mulio celerrimus
Neg, ullius volantis impetum cisi
Nequisse præterire -- --*

Dicit hunc Sabinum præterire cisia omnia potuisse, quòd intelligendum est de cisiò ipsius. Sic enim solebant, contendentes inter se, ut mox demonstrabo. Porro eum Sabinum appellat mulionem; unde constat, mulas in cisiò suo habuisse. Id quod amplius ostendunt sequentia, ubi nominatim appellat,

*-- -- Læva, sive dextra:
Stringere mulas, sive utrumq; cæperat.*

Numerus mularum videtur fuisse ternarius, quoniam Aufonius: *trijuge cisiùm* appellat epistola 8. Ita vero habet:

Vel cisiò trijugi, si placet, insilias.

Vix potuisset hoc modo vocare, nisi valde fuisset receptum, mulas tres in cisiò adungere. Utrum autem æqua fronte fuerint adjuncta, num vero duas conjugatas una antecesserit, an pro se quælibet una post alteram cueurrerit, haud dixerim. Quoniam de eò nihil apud veteres occurrit. Vehabantur iis viri. Sic colligimus ex Cicero- ne, Aufonio, Carminis incerto auctore de Sabino, & aliis, qui ubiq; quando cisiòrum mentionem faciunt, viros tantum memorant in ipsis, nunquam feminas. Pertinebat autem ad itinera extra urbem, non quovis modo, verum cum celeritate faciendâ. Ita supra Cicero de Antonio: *Perpotavit ad vesperum: inde cisiò celeriter ad urbem advectus domum venit, capite involuto.* Et adhuc clarius in pro Sex. Roscio: *Decem horis nocturnis sex & quinquaginta millia passuum cisiòs pervolavit.* Ubi nota, quod ad denotandam maximam celeritatem *pervolasse* dicat. Et solebant sic de cisiò, hanc ob causam. Auctor sæpe laudatus de Sabino in Catalectis.

Neque:

*Neg, ullius volantis impetum Cisi
Nequisse praterire -- --*

Atq; quoniam cum cisis celerrime non tam currebant, quam volabant, ideo non sine causa dubitatur de correctione Pinciani apud Senecam eo loco, quem superius produxi. Scribit ipse: *Quaedam sunt, quæ possis & in cisis scribere.* At libri veteres non parum variant: alij *incise*, alij *incedendo*, alij *in circo* habent, ut notarunt viri docti. Et *in circo* mallet Lipsius, nec Gruterò displicet. Sane quomodo in cisis celeritate tanta volante scribere quis potuerit, non video. Et opponuntur huic, quicquid sit, *lectus, otium, secretum* apud Senecam, quæ non pugnant adeo cum cisis, in quo & otium potest esse & secretum. At non sic in circo. Quanquam cur omnino circum nominare hic debuerit, non videam. Quare mihi potius videtur, *incedendo scribere*, quod & meis in membranis legitur. Accipio autem illud *incedere*, non tam de incessu pedestri, quam qui fit cum sella, vel lectica, quomodo & qui vehuntur equo, *incedere* dicuntur Virgil. V.

*Incedunt pueri, pariterq; ante ora parentum
Frenatis lucent in equis -- --*

et in sellis ac lecticis scribere consueviffe, dum gestantur per plateas, alibi monstravimus. Quoniam vero festinatione tanta properabant suis cisis, propterea quotiens simul plura ibant, unius auriga prævenire alterum studebant. Quo respexit Auctor carminis in Sabinum, quando *nullius cisi licet volantis impetum non praterire potuisse* dicit Sabinum istum. Fuit autem necessarium hoc casu, ut interdum cisium everterent. Hinc quæstio apud Jurisconsultos, qua teneatur actione istiusmodi auriga, qui occasione huiusmodi evertit cisium, & servum, quem vehebat pro mercede, attrivit. Respondetq; Ulpianus, actione locati posse conveniri. Verba sunt in l. 13. ff. Locat. *Item queritur, si cisiarius, id est carrucharius, dum ceteros transire contendit, cisium evertit, & servum quassavit vel occidit: puto ex locato in eum esse actionem.* Patet ex hac ipsa quæstione inter Jurisconsultos agitata, fuisse non insolitum, sed frequentem casum, unde sequitur, solenne illud studium alterius præveniendi

ac

ac prætereundi alterum fuisse. Discimus vero ex hac lege illud amplius, fuisse ista cisia non modo singulis propria, sed publice quoq; conductitia, quæ sub mercede certa solebant elocare. Inde nãq; actio ex locato nascebatur. Ac videtur cisia hujusmodi disposita habuisse passim publicis in viis, & extemplo potuisse conduci ab iis, qui faciebant iter. Ideo namque supra Cicero agebat nescio quem decem horis nocturnis tot millia passuum pervolasse *cisis*. Non dicit *cisio*, in singulari, verum *cisis* in plurali, ut una eademq; nocte, ac spacio paucarum horarum plura cisia conduxisse ac conscendisse necesse sit. Fieri hoc vero aliter vix potuit, nisi ea, quam prædixi, ratione. Consvenerunt autem *cisis* uti frequentissime litterarum perferendarum gratia. Observamus ex prædicto Ciceronis loco. Nam post verba, quibus Antonium Romam advolasse scribit *cisio*, & venisse domum, specie tabellarij, subdit: *Iamitor* (qui scilicet ædes, ad quas venerat, custodiebat) *quis tu?* Respondet Antonius: *à Marco tabellarius*. Neq; aliud colligitur ex Orat. pro Roscio Amerino: Adscribam verba: *Occiso Sex. Roscio primus Ameriam nunciat Mallus Glaucia quidam, homo tenuis, libertinus, cliens, & familiaris istius T. Roscij: & nunciat domum, non filij, sed T. Capitonis inimici*. Subdit postea, quomodo paucis horis nocturnis tot millia confecerit, ut supra vidimus. Pertinebant igitur ad nuncios & tabellarios, & fortassis hæc est causa, cur in lege antea allata mentio sit facta servi. Scilicet servorum fere munus fuit apud veteres, ut epistolas huc illucq; perferrent: Cicero lib. XI. epist. II. *Eodem exemplo litteræ à te mihi redditæ sunt, quo pueri mei attulerunt*. Idem lib. XIV. ep. 5. memorat Acastum servum suum cum litteris uxoris amicorumq; ad se Roma missis Athenas, quod iter confecit spacio uno & vicesimo die. Atque idem alij testantur. Atq; hi fortassis *tabellarij domestici*, quos idem memorat lib. II. ep. 7. Porro consvevisse hos vehiculis ire novimus & ex Petronio, qui sic habet: *Forſan pernoctassemus in limine, ni Tabellarius Trimalcionis intervenisset decem vehiculis dives*. Quæ vehicula jam scimus ex superioribus plerumq; cisia fuisse. Habebant tamen alias quoq; cisia, quæ solenni itinere inter urbes certas commebant, & ultro citroq; de-

ferebant peregrinantes. Talia memorat, quæ petebant Mantuam, item Brixium auctor sæpe nominatus carminis de Sabino.

*Neg, ullius volantis impetum cisi
Nequissè præterire, si ve Mantuam
Opus foret volare, si ve Brixium.*

Quin imo per Galliam illam universam isto genere fecissè iter videntur, quæ vocatur Cisalpina. Unde item:

*Cremona frigida, & lutosa Gallia
Tibi hæc fuisse, & esse cognitiissima
Ait Sabinus, ultima ex origine.*

Atq; hæc opinor causa est, cur Scaliger in Notis ad hunc locum: *Cisium proprium fuit Gallie Cisalpinæ vehiculum.* Item cur Quintilianus lib. I. c. 5. Catullum dixerit ploxeni vocabulum invenisse circa Padum. *Catullus, inquit, ploxenum circa Padum invenit.* Ubi invenit nõ significat excogitavit, sed cum in usu ibi esset, primum audivit, primum ibi didicit. Et hæc quidem de ciso.

Cap. XIX.

De Plaustro.

Plaustrum unde. Varro, Vossius, & Scaliger refutantur. Plantum quid. ἀμαζα. Varro corrigitur. Hamaxa. In plaustro rotae duæ. ἀμαζα τετρακυκλ & ἐξάκυκλ &. Plaustra majora. Rota. Plaustrorum tympana. Quomodo pellucida plaustra. Plaustra tecta. Iustini lectio defensa. Versio Hippocratis rejecta, ipse expositus. Quædam plaustra tecta ex parte. Μέρι & ἐς ἑξαομίον. Pollux emendatur. Carpentæ proplaustris. Convolvère carpentæ. Ammianus exponitur. In plaustris lecti. ἀμαζα τετρακυκλ &. Erasmus notatur. Boves ad ea juncti, vel muli. ἀπλω de plaustro, & quare juncti etiam asini. Semper fere bini. ὄντα ποδες ἑβρύος. Usus plaustrorum ad onera in agris. Vehiculum vulgatum usu. Curtij lectio vetus defensa. Vulcanij versio Ammiani rejecta. Currus proplaustro. Vina in plaustris, & oleum, & lapides. Spartianus explicatur. Plaustra onusta urbem ingredi prohibita. In plaustris columna lapideæ, arboresq;. Gementia, stridentia plaustra. Gravia, onusta, inania, vacua. In plaustris sarcinæ militares. Vehicula cohortis. Ar-

ma